DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ ET SANCTO LUCÆ, ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM, DIE JOVIS XVIII. FEBRUARII MDCCXVII.

M. MICHAELE PROCOPE COUTEAUX, Doctore Medico, Præside.

An Aër frigidus & ſiccus ſalubrior?

MEDICINÆ pars ad praxim ſpectans, Theoreticâ cognitione præſtantior. Hæc enim Syſtematibus ſæpè falſis, ſaltem inconſtantibus nititur, pro tempore, loco, varia apud varios; illa è ſinu naturæ prodit, experientiâ probatur. Hujus pars duplex circa ſanitatem occupata, quatenùs ſcilicèt vel præſentem conſervat, ὑγιεινὴ inſignita nomine; vel amiſſam recuperat, θεραπευτικὴ vocata. ὑγιεινῆς præcipua laus eſto: Nuſquàm enim θεραπευτικῆς operâ egemus niſi propter in vitæ ratione Erratum. Beatus ille qui bonâ valetudine gaudet. Sanitas auro pretioſior: faciliùs ſervatur præſens; amiſſa, vix, vel ægrè, & longo cum tempore, faſtidio, redintegratur. Conſideranda nobis igitur ea veniunt de quorum uſu legitimo tractat hæc ſcientia. Res vulgò non naturales dicunt, eò quòd humani Corporis naturam, (compoſitionem puta,) non ingrediantur. Inter illa non infimum tenet locum Aër, vitæ ſpiritus haùd ineptè dictus: quamobrem qui dotibus ad ſanitatem conſervandam neceſſariis magis eſt præditus, is eligatur.

SANITAS, cùm ſit aptitudo in corpore ad exercendas actiones homini proprias cum facilitate, oblectamento, & quâdam conſtantiâ, & cùm poſita ſit in determinatâ mobilitate partium tàm firmarum quàm fluidarum, ſeipſam ſensìm deſtruit mechanicâ ipſius molis humanæ compage; quìn etiam quotidiè deteritur ex abuſu rerum non-naturalium, quibus non tàm utimur quàm abutimur. Inter hæc, injuriæ & viciſſitudines inevitabilis & neceſſarii ſemper Aëris, majori damno corpus afficiunt. Hujus itaque diligens delectus, & in præſcribendis de ipſius uſu legitimo, legibus, magna cautio habenda. Difficile tamèn ità promulgare has leges, ut obſervatio earum omni homini æqualiter proſit. Hujus difficultatis cauſa ab uniuſcujuſcunque ἰδιοσυγκρισίᾳ ut plurimùm pendet; propter hanc enìm in variis hominibus ſæpè numero unius & ejuſdem Aëris effectus oppoſiti.

AERIS nomine, intelligenda venit liquidi moles illa corpus noſtrum immediatè ambiens ex omni parte, & quam inſpiratu maximè ducimus. Hæc vel placida, tunc Aëris nomine ſimpliciter deſignatur; vel ſæpiùs ſenſiliter commota, & Venti nomen ſortitur. Ventus ergò merum Aëris accidens. Ventorum differentia ſeu diviſio generalis in erraticis & regularibus admittitur, & quidèm appoſitè; illi enim ex incertâ regione, hi à certâ mundi plagâ, ſpirant. Regularium præprimis habenda ratio: Erratici nempè à locis præſertìm pendent. Illorum quidam anniverſarii, Cardinales alii dicuntur quòd à quatuor veluti mundi Cardinibus ſpirent.

Nam modò purpureo vires carpit Eurus ab ortu,
Nunc Zephyrus ſero veſpere miſſus adeſt.
Nunc geli dus ſicca Boreas bacchatur ab Arcto,
Nunc Notus adverſâ prælia fronte gerit.

Aëris, ſicut & Ventorum, poteſtas omnis tùm à ſubſtantiâ, ſubtili vel craſſâ, vaporibus repletâ vel iiſdem orbâ; tùm à primis qualitatibus, oritur & agit in nobis. Magna in Aëris delectu habenda cautio. Aquilonem crede, ſeu frigidum & ſiccum ſanitati magis convenientem, utpotè qui minores noxas, quàm cæteræ ſpecies corporibus infert; & à quo præterea humani corporis functiones ab ipſo pendentes ad amuſsìm peraguntur.

BONA reſpiratio, inſenſilis perſpiratio laudabilis; functiones in nobis ab Aëre præſertìm pendentes. Utraque faciliùs in Aëre frigido ſicco peragi docet natura; his enim dotibus Aër præditus ſuo gaudet elaterio; Unde pulmonis explicatio facilior, in ejus vaſis contenti ſanguinis diviſio major, conquaſſatio, tritus fortior. Ex pulmonibus in ſiniſtrum cordis ventriculum, & à corde per Aortam in omnes corporis partes ſanguinis ejuſdem validior impulſus, expeditus circuitus; à quibus vita, motus, ſecretiones dependent omnes. *a* Quod verò ad inſenſilem perſpirationem ſpectat, audi SANCTORIUM à SANCTORIO. » Aër frigidus, lavacra frigida, corpora robuſta calefaciunt, eaque auferendo ſuperfluum, » reddunt leviora. *b* Idem paulò infrà in Aëre frigido ſalubri, (ideſt ſicco,) prohibetur quidem perſpiratio, denſantur meatus, ſed roborantur fibræ & perſpirabilis retenti pondus, nec lædit, nec ſentitur. De Aëribus quoque ſermonem fa» ciens divinus Senex, frigidum & ſiccum ità commendat: *c* Tempeſtates, inquit, Aquiloniæ quidem ſolida reddunt corpora, tùm etiam firma & ad motum expetita, & benè colorata.

a *Statices Sectione 2. Aphor. 1.* b *Statices Sectione 2. Aphor. 7.* c *Aphor. 17. Lib. 3.*

AER calidus, humidiſſima Oculorum, Narium, Aurium, Oris, Aſperæ Arteriæ diſſipat; Vaſcula exſiccat, Pulmonis cruorem magis cogit; utràque causâ Pulmonis actiones impedit; multos morbos indè oriundos excitat; humores ſemper tenuiores auffert, diſſipat mobiliora, lentiora aggregat, compingit, exſiccat; ergo partes Aquoſas, Spirituoſas, Salinas volatiles, aſſiduò diminuit: Contra verò Salina fixiora, Olea craſſa & tenacia, Acria exuſta, tùm terreſtria fixa auget, accumulat, in Maſſas irreſolubiles unit; hinc itaque Immeabilitas humorum, ſimul elongatio & debilitatio ſolidorum, & quæ indè ſequuntur obſtructio, exſiccatio, inflammatio, coctio læſa & impedita. *d* » In Aëre calido corpus eſt » minoris roboris, tùm quia cum perſpiratione exhalat aliquid bonorum ſpirituum, tùm quia calor non eſt concentratus: ità Sanctorius. Si Aër ſit humidus, laxat, ſolvit, debilitat; fibras imprimìs Pulmonales, ſetum Pulmonis retinet, auget, accumulat, perſpirationem in his prohibet. Hinc Aër Auſtrinus omnium peſſimus undè.

Lethiferis calidi ſpirarunt æſtibus Auſtri.

e » Auſtri cum ſuis collateralibus, inquit Hyppocrates, calidi ſunt & humidi, Nubium & Pluviarum parentes. Idem alibi, Auſtrinæ tempeſtates corpora planè reſolvunt & humidiora reddunt, tùm etiam Auditus graves; & capitis gravita» tes, *f* Vertigines inducunt tenebricoſas, tùm ipſis oculis totique corpori in movendo difficultatem afferunt, alvumque humidam reddunt. Notus etiam humidus nocet corporibus; quandò

. . . . . Madidis notus evolat alis,
Terribilem, piceâ tectus caligine vultum:
Barba gravis Nimbis, canis Fluit unda capillis,
Fronte ſedent Nebulæ, rorant pennæque ſinuſque.



Itaque Venti calidi, humidi habent noxas & Nocumenta; Audiendus jàm Boerrhave, *g* Aër purus, inquit, campeſtris, Montanus, frigidior, laudatur præ cæteris. Si tamen purus & vacuus exhalationibus, ſiccus ſcilicèt, nec vaporibus gravis.

d *Statices Sectione 2. Aphor. 25.* e *Aphor. 5. Lib. 3.* f *Aphor. 17. Lib. 3.* g *De Diætâ ad Longævitatem.*

Ergo Aër frigidus & ſiccus ſalubrior.

Proponebat Pariſiis GABRIEL-ANTONIUS JACQUES, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1717.

Typis JACOBI QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.